

# INSTRUMENTI GEOMETRICI.

77

tunc Dioptra Regulæ erectæ sursum volvitur, perpendicularumq; ei appenditur.

His omnibus si addatur *funiculus*, quo opus est ad geodæsiam plurium stationum (ut indicatum capite precedenti:) partes Instrumenti singulas habes Quin & ternos *funiculos* annexere Baculo tibi licet, quibus Baculus sisti & firmari potest, eis ad terram extensis & affixis, veluti tentorium in castris extendi solet.

## C A P V T I V .

*De Instrumenti usu, generatim:*

**S**V R V S Instrumento in dimensione loci, cuius distantia vel longitudo pedes 1000 excedit, isthoc exemplum ante omnia observa: Finge stationem tuam esse pedum 600. distantiam sive longitudinem excedere pedes 5000. Progressu igitur facto ad alterâ tuam stationem, & Instrumento (ut docebitur cap. 6.) ritè ad dimidiendum disposito, volutaque Dioptrâ unâ in puncta 600. alterâ verò versus distantiam sive longitudinem quæsitam: unde brevis nimis sit Regula, & neq; ambabus Dioptris illuc pertingi possit (Regulæ quandoquidem non nisi in partes 1000 sunt divisæ:) tunc ita operare: Volve Dioptram de punctis 600 ad puncta 100. & dic esse 600. (pedes siquidem 600 pro statione tuâ antea sumebas;) erisque voti tui compos, si & alteram Dioptram (ut docebitur suo loco) divolves. Hæc etenim in Regula abscindet puncta 920. quib. sextuplicatis, siue ductis in 6. habebis 5520. totidem videlicet pedes ad longitudinem sive distâtiā quæsitam.

Quod si locus ille distat milliari, & amplius, tunc spatium intermedium utriusque stationis decempedis, veluti tormentorum tribuni solent, dimetire, juxta doctrinam capit. secundi. Exempli gratiâ: Finge stationem tuam contineare perticas 100, quæ faciunt pedes 1000. Volve igitur

*Nota: Quo<sup>rum</sup> longiores regulae, hoc certius mensuratur.*

*Nota: Dimensionis longioris distancie longiores requirit stationes.*